



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI  
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne  
Petro Maffeo, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex  
auctoritate superiorum.||**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Köln, 1585**

**VD16 M 110**

Regimen seminarum à Societate depellit Ignatius. Cap. XVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

Ignatij rationem haberi, quām sui. Sed miser, Ignatio silente, ac pro eodem orante, breui perfidiæ pœnas dedit. atro cibus enim ant ea&gt;x vitæ sceleribus iusto Dei iudicio patefactis, quæ ad eam vsq; diem astute suppresserat; sacerdotio spoliatus, & perpetuo carceri additus est.

*Regimen seminarum à Societate depellit*

*Ignatius. Cap. XVII.*

Interea Elisabetha Rosella Barcino-nensis, quæ Ignatij prima litterarum studia fouverat, Societatis IESV coali-tæ & confirmatæ, fama commota, Romam ex Hispania contulit sese, par-tim vt Ignatium lōgo interuallo reui-feret; partim etiā, vt vna cum quibus-dam alijs pijs feminis ad normam illi⁹ atq; præscriptum ageret vitam. Atque Ignatius quidem, sospitem aduentū mulieri de se optime meritæ gratula-tus est, & omnia officia detulit, q̄tæ sal-uo re ligionis instituto præstare posset curam vero seminarum suscipere sese negauit posse, plurimis grauissimisq; occupationibus impeditum. At illa ni hilominus instare; sanctissima veteris

P 2 ami

amicitiæ iura testari; postulati equitati obtendere: denique ubi magis magis que obfirmatum vedit Ignatium, ad aulicas confugit artes. atque ut erat nobili nata loco, per viros principes facile tenuit, ut Pōtifex Maximus Ignatio munus idipsum quod recusabat, iniūgeret. Sed ea res magnum in Societatis commodum vertit, prater spē, ac nostros, non solum in præsens, verum etiam in posterum à tam periculosa pruincia liberauit. Etenim Ignatius, Pontificis iussu ea procuratione suscepta, paucis diebus tantam difficultatem ac laborem sensit, dum querimonias mulierum audire, superstitiones euellere, inanibus & curiosis quæstionibus respondere identidem cogitur; ut pœn plus ei negotij paucæ feminæ, quam Societas vniuersa faceſſeret. Itaque licet Elisabethæ, pro eius in ſe promeritis gratificari admodum cuperet, tamen reputans apud ſe, quantum ex huiusmodi tricis detrimenti respublika pataretur, ſimul etiam cogitans fore, ut harum exemplo aliae deinceps religioſæ mulieres virginésve idem à Societa-

tc

te in posterum expeterent; nequaquam  
ignarus, quam periculosa, & suspicio-  
bus plena sit ea consuetudo; priuati of-  
ficij rationem posthabere cōmuni vti-  
litati, ac totum hoc genus ad ministra-  
tionis à Societate prohibere omni rati-  
one constituit. Igitur adhibita (quod  
in omnib⁹ grauioribus causis faciebat)  
præparatione diligent, imploratoque  
per iteratas preces & hostias cælesti præ-  
sidio, ad Pontificem accessit, verbisq;  
supplicibus demonstrauit, ex onere si-  
bi nuper imposito, quam exiguo cum  
fructu, quantum laboris ac molestiæ  
pertulisset. ea ipsa remonitum quam  
aliena sit à Societatis instituto eiusmo-  
di præfectura, petere se & orare, ut nō  
ab illis modo, sed ab omnibus in perpe-  
tuum feminarum collegijs gubernan-  
dis immunem Societatem esse iubeat;  
non defuturos aliorum ordinum idoneos  
homines, qui id munus libenter  
& cum fide obeant: sibi quidem & su-  
is, prouinciam videri minime accom-  
modatam. neque vero eorum esse, qui  
se ad omnium gentium auxilium, si-  
ne villa regionum aut locorum exce-

P 3 ptio-

ptione, Christi Vicario mācipauerint, corum operam & industriam, nō sine graui publicæ rei damno, paucis regen dis mulierculis implicari. Quibus rationibus ita permotus est Pontifex, ut supplicanti omnia large ac prolixe cōcesserit. Itaque Societati ab eiusmodi munere vacatio in perpetuum data, eiusque vacationis auctoritas testata est trinis deinde literis Apostolicis, quæ tēpore procedente magno usui fuere nostris hominibus, ad eius generis pericula & molestias abigendas.

*Honoribus in Societatem nostram  
Ignatius aditum obstruit.*

*Cap. XVIII.*

**A**Tque ijs difficultatibus perfundita Societas, prosperum DEI beneficio cursum tenere videbatur, cum noua rursus in eam coorta tempestas est, eo quidem grauior & periculosior, quo in speciem lenior blandiorque. In ijs, qui per Germaniam varijs locis Domini vineam excolebant, Claudius Iaius è primis Patribus vnum,